



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Unius Necessarii pars ...

Ubi agitur De Effectibus - qui primi, ac per sese ex notitia Dei consequuntur: De Æstimatione nimirum, in qua habendum, deque ardore, quo amandum est illud incomparabile objectum

**Rogacci, Benedetto**

**Pragae, 1721**

Cap. XXIX. De artibus, & industriis ab anima Dei amante adhibendis, nè illum unquam gravi crimine offendat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54508](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54508)

## CAPUT XXIX.

De artibus, & industriis ab anima DEI amante adhibendis, nè illum unquam gravi crimine offendat.

**F**acilèné, an difficile opus sit, à peccati contagiis se purum, atque immunem servare, promiscua, & universali sententia definiri nequit. Illud pronuntiare mihi posse videor, & sinè ulla dubitatione pronuntio, difficillimum scilicet id esse homini, curæ, ac timoris vacuo, séque tutum putanti; facilè autem circumspécto, & sollicitè omnia caventi. Difficillimum esse dixi primò: nam si vel in exterioribus bellis, ubi cum ejusdem naturæ hostibus dimicatio est, nihil periculosius censetur, quàm extra omnem periculi aleam esse; quantò id censendum magis erit in spiritali cum salutis nostræ hostibus bello? ubi, teste D. Paulo, (*Ad Ephes. 6.*) *Non est nobis colluctatio adversus carnem, & sanguinem, sed adversus principes, & potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum contra spiritualia nequitie in cælestibus: contra spiritus nimirum tartareos nimis magno*

E e e

in-



intervallo, five ingenii perspicacitas, five ro-  
 bur virium, five usus, & scientia bellandi æsti-  
 metur, nobis superiores, & præter hæc omnia  
 cum ipsismet naturæ nostræ appetitionibus  
 sociali fœdere in nostram perniciem conjun-  
 ctos? Certè, si usquam alibi verum fuit, ve-  
 rissimum hîc apparet illud Comici dictum,  
 (*Plaut. in Capt.*) *Qui cavet, nè decipiat, vix*  
*cavet, cum etiam cavet;* ut proinde inter tot  
 timendi causas securum, expertemque omnis  
 metûs agere, quasi nihil impenderet discrimi-  
 nis, idem planè sit, ac in summo versari, pro-  
 ximòque cladis discrimine. At non ità etiam,  
 si quis imbecillitatem suam animadvertat, il-  
 liusque memor opportuna undecunq; sibi au-  
 xilia conquirat, & nullo non tempore arma-  
 tus tanquam in procinctu excubet. Huic  
 enim, ceu subjuncti, proclive erit quovis è  
 certamine incolumem abire. Non secùs at-  
 que Emporitani è Græcia in Hispaniam trans-  
 gressis evenisse Livius testatur. (*Lib. 34.*) *Qui*  
*fundatâ ibi suæ gentis coloniâ, quanquam mo-*  
*dicis subnixi opibus, intèrque bellicosos, &*  
*feroces circumquaque populos siti, citra ul-*  
*lam tamen in peregrino illo solo fraudem, at-*  
*que noxam durabant: haud alia de causâ, nisi*  
*quòd in omnem suæ libertatis, & salutis cu-*  
 sto-



studiam solertissimè intenti, noctibus singulis non minùs, quàm tertia pars excubarent in mœnibus: neque id *moris tantum*, aut *legis gratiâ*, sed *quantâ*, si *hostis ad portas esset*, curâ: confirmantes suo exemplo, quod Aristoteles in Politicorum libris docuerat, (L. 5. c. 8.) nimirum pericula propter vigilantiam, quam metu sui excitent, usque ad eò ad civitatum conservationem facere; ut & cum absunt, fingenda à magistratibus sint. *Conservantur Respublicæ non solùm ex eo, quia procul sint à periculis, verùm etiam interdum, quia propinquæ sunt. Homines enim formidantes vigilantius intendunt ad custodiam Reipublicæ. Itaque oportet eos, qui Rempublicam salvam volunt, formidines quasdam parare, ut caveant, & quod longè abest, propinquum facere.* Quæ cum ita sint, rursus omnes, qui amorì divino se studere profitentur, admoneo, ut, quantumcunque firmam DEI nunquam offendendi voluntatem habeant, nè idcirco se penitus tutos, extrâque omne periculum arbitrentur: sed certissimi sint, prædictam voluntatem posse temporis momento in ipsis deficere: ac proinde, quò integra, & vigena fervetur, assiduam sibi esse sui ipsorum curam gerendam, omnibùsque iis utendum adminiculis, quæ ad ejusdem stabilimentum



conducunt, & quinque his præcipuè à me jam-jam proponendis. Quæ si neglexerint, palàm facient, non se DEI offensam, quantum deberent, odisse, dum eam, quantum possunt, vitare, & procul à se habere non student.

2. Quodnam ergo primum inter ea erit? Illud utique ipsum, quo usus est Darius Rex Persarum, (*Herod. L. 5.*) ad fovendum semper recens in animo conceptum erga Athenienses odium, propter Sardsensem urbem ab iis devastatam: certo nempe cuidam ex suis servis præcipiens, ut ter quotidie ingeminare sibi pergeret: *Here, memento Atheniensium.* Similiter quippe & DEI servis ad vividum contra offensas illius odium, & stabile eas perpetuò effugiendi propositum in animis suis retinendum magno usui erit, si quotidie in matutina oratione prædictos affectus redintegrare curent: revocando breviter in memoriam, quantum observantiæ, & amoris maximo Conditori suo debeant, quàmque execranda res sit, summam illius Majestatem offendere: tum firmissimè decernendo, in omni deinceps vita, sed præsertim eo die fideles se illi famulos exhibere, omnésque capitales noxas, utpote ipsi maximè injuriosas, ultra gravissimum quodvis malum abominari, & effu-  
ge-



gere: usurpatis hac de causa iis Regii Prophe-  
tæ sensibus: *Nōne DEO subjecta erit anima  
mea? In capite libri scriptum est de me, ut face-  
rem voluntatem tuam. DEUS meus, volui, & le-  
gem tuam in medio cordis mei. Juravi, & statui  
custodire iudicia justitiæ tuæ. (Ps. 61. 39. 118.)*

Hoc igitur primum ex præsiidiis fuerit, quæ  
animæ à gravibus DEI offensis tuendæ specia-  
lius conducunt. Quod, quisquis eiusmodi fi-  
nem serio expetit, complecti, & sedula praxi  
usurpare debebit: instaurans quovis mane  
consuetum quasi iuramentum perpetuæ fide-  
litas cælesti suo Domino, & perpetui item  
belli adversus peccatum illius infensissimum  
hostem. Quanquam plus indè opis trahet,  
si non satis habens in matutina duntaxat medi-  
tatione illud concipere; geminis insuper me-  
ridiano, & vespertino examinandæ conscien-  
tiæ temporibus repetitum velit: & multò plùs  
adhuc, si etiam interdiu eosdem actus, bre-  
vissimæ, & raptim ejaculatæ orationis ritu ite-  
rare assuescat, vel ad singulos horologii pul-  
sus, vel initio cujuslibet operationis suæ, sed  
earum præcipuè, ubi aliquod intervenire pec-  
candi periculum potest.

3. Secundum in eandem rem præsidium  
suggerit nobis Demosthenes: idque est diffi-



dentia illa, quam ipse, tanquam rerum publicarum conservationi apprimè necessariam, Atheniensibus suis esse commendatissimam vult, sic eos alloquens: (*Philip. 2.*) *Sunt quidem certè varia reperta ad urbium defensionem, veluti aggeres, mœnia, atque fossæ, & quæ sunt hujus generis alia. Unum autem quoddam commune natura prudentum in se continet præsidium, quod cùm omnibus salutare est, tum vel maxime liberis civitatibus contra tyrannos. Quodnam igitur illud est? diffidentia. Hanc custodite, hanc amplectimini, hanc si conservabitis, extra omne periculum eritis. Nisi quòd diffidentiam ille à civibus suis exigebat, respectu externarum virium, ità ut has semper suspectas haberent, nec unquam finè metu insidiarum, periculorumque essent, quæ ab iis strui poterant libertati suæ; ego verò eam ab unoquoque exigo respectu propriarum virium: ità ut nihil in his locet spei, sed pro certo habeat, nisi DEUS cælesti sua ope illarum imbecillitatem suppleverit, salvum se inter tot pericula, atque hostes nullo modo esse posse. Qui justissimæ humilitatis sensus adeò est omnibus, quantumcunque in virtute processerint, necessarius, ut, si quis ob diutinam sanctè vivendi consuetudinem, & præsentem charitatis*

fer-



fervorem fatiſ tutum à peccato ſe exiſtimet ;  
nã is altero pede ſupra illius barathrum pen-  
det , & lapſo videri poteſt , quàm lapſuro ſi-  
milior . Putans enim ſe ſibi ſufficere , neque  
aliorum inſtar DEI auxilio indigere , mere-  
tur ab hoc deſeri , tanquam ab illo , qui *ſuper-  
bi reſſit , humilibus autem dat gratiam* : ( 1. Petr.  
c. 2. ) idque ſi contingat , quid de illo ità de-  
ſerto , & ſibi duntaxat relicto expectari poteſt ,  
niſi certus in malum lapſus ? *Væ eis , cùm receſ-  
ſero ab eis . Sinè me nihil poteſtis facere . Perditio  
tua ex te Iſraël : tantummodo in me auxilium tu-  
um .* ( *Os. 9. Joa. 15. Os. 13.* ) Atque hinc eſt ,  
quòd ſancti viri omnes , quantò plùs emine-  
bant virtute , tantò agnoſcebant , & profite-  
bantur magis imbecillitatem ſuam : non fiden-  
tes illi magis , quàm baculo arundineo con-  
fracto , *ſuper quem ſi incubuerit homo , comminu-  
tus ingreditur manum ejus* : ( *L. 4. Reg. c. 18.* )  
ſed omnem ſpem ſuam conſtituentes in DEO ,  
neque illo ſe arbitantes minùs egere , quàm  
quivis egeat vir profanus , aut vitæ ſpiritualis  
tirunculus . Contrà verò ex ſanctæ hujus dif-  
fidentia defectu triftes orti ſunt caſus com-  
plurium , egregiæ antea ſanctitatis virorum :  
qui , quòd inſtar Luciferi plùs nimio ſibimet  
placuerant , unà cum eodem è cæli altitudine



in tartari profunda ruerent præcipites: adeò ut cuilibet eorum aptari illa possit funesta exprobratio, (Ezech. 28.) *Elevatum est cor tuum in decore tuo. Perdidisti sapientiam tuam in decore tuo. In terram projecit te. Omnes, qui viderint te in gentibus, obstupescunt super te. Nihili factus es, & non eris in perpetuum.* Exofus quippe vecordem illorum arrogantiam DEUS in suis eos, quibus stultè confidebant, junceis viribus dereliquit, ut experti saltèm discerent, quàm nihil per se possent: nec aliud, quàm liberale DEI munus fuisse, quidquid boni antea possederant: jure ipsis ablatum, quòd illud non eleemosinam ab eo sibi impertitam, sed suæ fructum virtutis crediderint.

4. Neque ullum ambigendi de hac re nobis locum relinquunt Hagiographi codices, pleni undique, ut D. Augustinus animadvertit, terrificis contra inanem sui fiduciam sententiis. (L. 3. de Doct. Chr. c. 23.) *Nulla enim ferè pagina sacrorum Librorum est, in qua non sonet, quòd DEUS superbis resistit.* Talis illa est Regii Prophetæ DEUM sic alloquentis, (Ps. 17.) *Quoniam tu populum humilem salvum facies, & oculos superborum humiliabis.* Talis ea Salomonis, secundùm quam (Prov. c. 16.) *Abominatio DEI est omnis arrogans, quæque in*  
Ec.



Ecclesiastico æquivalentibus verbis repetitur, (c. 10.) *Odibilis coram DEO. & hominibus est superbia.* Talis Jeremiæ, qua *maledictus homo* dicitur, *qui confidit in homine*: (c. 17.) *cujusmodi est, teste D. Augustino, quisquis confidit in se ipso.* Talis Abdiæ, dejectum iri affirmans, qui superbe se extollit: (c. 1.) *Superbia cordis tui extulit te, qui dicis in corde tuo, quis detrahet me in terram? Si exaltatus fueris ut aquila, & si inter sidera posueris nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus.* Talis denique, nè longior sim, notissima illa apud D. Lucam ipsiusmet divini Verbi sententia, universè, ac disertissimis verbis pronuntians: (c. 4.) *Omnis, qui se exultat, humiliabitur.* Unde mirum non est, quòd Cassianus definiat, (Coll. s. c. 14.) *Impossibile esse, de qualibet passione triumphum quempiam promereri, priusquam intellexerit, industriâ, vel labore proprio victoriam certaminis semet obtinere non posse: imò addat præterea: justo DEI punientis judicio, (L. 12. c. 22.) Omnem animam, quæ superbiæ fuerit tumore possessa, nequitiis spiritualibus tradi, eamque passionibus carnis involvi: ut saltèm vitiis humiliata terrenis, immundam se carnaliter, pollutamque cognoscat, quæ tepore cordis erecta immundam se in conspectu DEI per elationem mentis effectam,*



*intelligere antè non potuit.* Quod puniendi genus scitè D. Thomas declarat exemplo argumentationis dictæ in scholis, *per reductionem ad impossibile.* Nam, quemadmodum ibi convincitur aliquis per hoc, quod ducitur ad inconveniens magis manifestum; ità sic DEUS, ad vincendam hominum superbiam aliquos punit, permittens eos ruere in peccata carnalia, quæ, etsi sint minora, manifestiorem turpitudinem continent. (2. 2. qu. 162. a. 6. ad 3.)

5. Quanquam quid opus est sacris Literis ad intelligentiam veritatis adeò per se ipsam manifestæ, ut neque ethnicos sapientes latuerit? Non latuit certè Chilonem: quippe qui interrogatus, quidnam faceret DEUS, respondisse fertur, (*Laërt. L. I.*) *Excelsa deprimat, & humilia extollit.* Non latuit Platonem, cujus sententiâ, (*L. 4. de Leg.*) *Qui superbiam effertur, tanquam nullo Principe, aut rectore indigeat, is à DEO prorsus deseritur.* Non latuit Artabanum, Xerxis Confiliarium, qui suo quoque illam Regi persuadere conatus est, docens, funestis eventibus superborum hominum consilia multari solere, (*Herod. L. 2.*) *Præterea quòd DEUS neminem præter se patiatur, magnificè de se ipso sentire.* Neque ignota Sophocli fuit, à quo tragicæ Ajacis insaniam non alia



alia affertur causa, nisi immodica, & insolens sui confidentia. Dum in discessu ad bellum Trojanum, monitus à Patre Telamone, ut si re bene gesta victor reverti domū vellet, Deorum sibi auxilium conciliaret, iniquo animo tulit, aspernatūque commonitionem eam est, tanquam suæ injuriosam virtuti, nec nisi timidis, & inertibus congruentem, respondens: *Pater, etiam nihili homo Diis adjuvantibus vinceret.* (In Aja. Mastyg.) Quæ mentis elatio utinam nè multos quoque spiritualium hominum suo afflaret veneno. Illi certè sat perspicuum ejus specimen dant, qui audientes sibi commendari, ut ad sese à peccati labe tuendos illius occasiones fugere, & divinam opem implorare assiduis precibus curent; caput quassant, & vel disertis vocibus, vel tacito oris abnutu respondent, hujusmodi artes novitiis DEI famulis necessarias, ac proinde inculcandas esse. Se quidem nihil habere, cur de iis admodum solliciti sint: utpote qui longo superandi vitia, & dæmonem usu, puros sceleris vivere, consuetudinem sibi, & naturam quodammodo fecerint.

6. Quandoquidem igitur tam conjuncta hæc hæc duo esse invicem vidimus, ut nempe satis quispiam sibi virium esse ad vitandum pec-



peccatum existimet ; útque idem à DEO in peccatum labi sinatur ; quisquis impensè DEUM amat , quàm cordi habet graves quaslibet illius offensas effugere , tam cavere à vana æstimatione , & confidentia sui debet : nunquam audens , quantocunque se virtutis , & voluntatis robore instructum sentiat , tutiorem se à lapsu , & divinæ opis minùs indignum arbitrari , quàm quilibet alius è vulgo hominum sit : sed instar oraculi habens illud D. Augustini effatum , ( *Hom. 23. inter. 50. tom. 10.* ) *Nullum est peccatum , quod fecit homo , quod non possit facere alter homo , si desit Rector , à quo factus est homo.* Cùm certissimum sit , quidquid virtutis , & bonæ habitudinis in præsentì obtinet , ut nequaquam propriis viribus acquisitum sibi ab ipso est , sed à gratuita DEI liberalitate acceptum ; sic neque propriis suis viribus , & absque novo DEI munere in futurum conservari ab eo posse : simili pacto , atque aër nec per se ipsum , sed solis beneficio lucem suam habet ; nec per se ipsum , & absque nova ejusdem largitione retinere illam potest : ità nempe comparatis tum externa , & solari , qua aër ; tum interiori , & divinâ , qua animus perfunditur luce ; ut neutra semel in perpetuum donetur , sed ambæ novo in singula momenta , &

gra-



gratuito semper munere impertiri debeant : absque ullo jure, eò quò in præsentem eam percipiant, eandem quoque vel in uno quopiam futuri temporis puncto accipiendi. Gratias Deo itaque humiliter age de bona hac mentis, animique habitudine, quam nunc experiris, velut de munere à gratuita, & peculiari illius benignitate tibi collato; sed noveris simul, posse illam in te extemplo deficere, nisi novo, & æquè gratuito, ac liberali ejusdem munere conservetur: & ad novi hujus muneris continuationem obtinendam nihil tibi fore opportunius, quàm si persuasum habeas, non tibi id faciliùs ereptum iri, quàm si satis in te uno habere te præsidii confidas. Felix enim verò, & rerum suarum bene providus, qui non tunc demum, postquam præsentis superbiæ pœnis malè multatus fuerit, suarum virium imbecillitatem agnoscit; sed hanc semper profitendo debitas superbis pœnas evadit. Quanto satius est per ultroneam animi demissionem coram DEO se humi prosternere, quàm à DEO in arrogantia vindictam prosterni? *Utinam (ait D. Bernardus) omnem in me extollentiam deprimat, imò dejiciat, atque ad nihilum redigat non accensus furor, sed infusus amor. Utinam discam non superbire, sed unctiōe, non ulione magistra. (Serm. 69. in Cant.)*

7. Non



7. Non tamen sat est ad evadenda peccati discrimina propriæ virtuti diffidere, sed oportet præterea (quod tertium est, & imprimis necessarium præsidium) humiliter, enixè, perpetuò, & confidenter divinam opem implorare, ut quæ sola humanæ imbecillitati invictum robur addere contra hostilem quamcunque vim potest. *Qui docet manus meas ad prælium: & posuisti ut arcum æreum brachia mea.* (Ps. 17.) Et quanti momenti hoc præsidium sit, luculenter declarat tum nobilis illa, quæ sub D. Augustini nomine circumfertur sententia; (*Serm. de Temp. 226.*) *Oratio justi clavis est cali. Ascendit precatio, & descendit DEI misericordia:* tum multò adhuc luculentius illud Christi ipsius monitum. (*Luc. 22.*) *Orate, nè intretis in tentationem.* Ex quo D. Petrus Chrysológus rite collegit, (*Serm. 43.*) *In tentationem vadere, qui ad orationem non vadit,* Sed neque dubitari potest, quin quatuor illas condiciones, quas ego suprâ indicavi, debeat sibi adjunctas habere. Nam primùm, quantò humilior est oratio, tantò benignius à DEO excipitur, cui, teste Juditha, (*c. 9.*) *Humilium, & mansuetorum semper placuit deprecatio:* quippe, ut habemus in Psalmo 101. *Respexit in orationem humilium, & non sprexit preces eorum,*  
Qua-



Quare etiam Ecclesia, quò plus efficacitatis addat suis precibus, ab humilitate exordiri illas solet: inter prima statim verba profitens, nihil boni, atque recti posse nos ex nostra virtute citra ipsius auxilium sperare, prout videre in his est solennium orationum principiis: *Omnipotens, & misericors DEUS! de cujus munere venit, ut dignè tibi, & laudabiliter à fidelibus tuis serviatur. Protector in te sperantium DEUS, sine quo nihil est validum, nihil sanctum. DEUS qui nos in tantis periculis constitutos pro humana scis fragilitate non posse subsistere. Deus, qui conspicias, quia ex nulla nostra actione confidimus. Deus, qui conspicias, omni nos virtute destitui: & ejusdem sententiæ aliis, quibus & nos uti, dum privatim oramus, expediet. Secundò neminem latet, cum peccatum sit mali gravissimi, nec sine divino auxilio evitabilis genus; hoc auxilium peti debere non animo remisso, & instar dicentis, si libet poscenti gratificare: sin aliter, repulsam facilè patiar: sed instanter, & cum ea sollicitudine, quam meretur rei magnitudo. Nam neque quisquam libenter beneficio afficit, quem parùm fore sibi gratum prævidet; nec satis gratus fore pro beneficio existimari potest, qui se illud parvi pendere ostendit; nec magni se aliquid facere ostendit,*

dit,



dit, qui frigidè, oscitantèrque illud petit. Audi Salomonem : *Cum obsecrationibus*, ait, *loquetur pauper.* (Prov. 8.) Non orat quomocunque, sed obsecrat, neque una duntaxat, sed multiplici obsecratione utitur, qui agnoscit se pauperem. Tertiò certum quoque est, uti nullo non tempore à salutis nostræ hostibus oppugnatur; sic opus nobis esse, ut assiduè arma in promptu habeamus. Neque ullis nos meliùs, si D. Cypriano fides habenda est, tueri armis possumus, quàm fufis coram Deo precibus. (Ep. 57.) *Incumbamus*, ait ille, *gemitibus assiduis, & deprecationibus crebris. Hæc sunt nobis arma cælestia, quæ stare, & perseverare fortiter faciunt. Hæc sunt munimenta spiritualia, & tela divina, quæ protegunt.* Quamdiu hæc tractamus, superiores in certamine nostris hostibus sumus. Quandocunque hæc deponimus, ipsi prævalent nobis. Exemplum habemus, inquit Abbas Rupertus, in Moyse: qui fervente adversùs Amalecitas prælio, quoad erectas in cælum manus teneret, Israël vincebat: sin verò eas demississet, ad hostes inclinabat victoria. Ità sanè: *Orat Moyses, & vincit: cessat, & vincitur. Didicit Christianus, quid agat: invenit, quid fugiat. Didicit, inquam, unde aut vincatur, aut vincat.* (Lib. 3. in Ex. 6. 20.) Po-  
stre-



ſremò , quòd attinet ad divinæ benignitatis fiducia , quàm & juſta illa ſit , & efficax ad certò impetrandum , quidquid à DEO flagitat , manifeſtè ex iis patet , quæ alibi ſuo loco diximus : quibus rite poſitis , admiſiſſique , nè palàm oſtenderet , à ſe omnino ignorari , quiſnam , & cujuſmodi DEUS ſit , infinitæ nimirum bonitatis , opulentixque Dominus , profeſſus in filiorum nos loco ſe habere , adeoque cupidus ſuis nos ditandi muneribus , ut ad ea , quodocunque ſit opus , petenda nos provocet , & pollicitus inſuper , quidquid rite petierimus , conceſſum nobis à ſe iri : haſ omnes , inquam , illius conditiones omnino ignorari à ſe oſtenderet , fingens ſibi in ſua imaginatione , pro eo idolum quoddam ab eo prorsus diverſum , qui eum intrà ſe conciperet , adeò immitem , adeò avarum , adeò infidelem , adeoque à ſe ipſo discrepantem , ut poſt acerbiffimam mortem ultro in cruce obitam pro nobis à peccato eruendis , ſineret nunc in illud nos prolabi non minùs , quàm ſi lapideum cor haberet ad obſecrationes , & clamores , queis tanto in discrimine opem ſuam imploramus : poſtque teſtatiffimam nobis fidem datam , nulli ſe noſtræ petitioni non ſubſcripturum ; hanc audire nollet , ſed irritam

F f f

pror-



prorsus rejiceret, quæ plùs omnibus aliis & nostra interest, & ad ipsius gloriam refertur, utpote à nobis ex intimo erga ipsum amore, vitandæque offensæ ipsius studio concepta. Arceat, quæso, arceat ille à nostris mentibus opinioniones, speciésque tam absurdas, alias earum locò constituens justiores, & quæ infinitam bonitatem ipsius magis deceant: adeò ut nè omittamus, debita cum submissione animi, instantiæque, & assiduitate divinam illius opem ad gravia, ac quævis crimina devitanda implorare: nihil deinde ambigentes, quin à Patre amantissimo pro temporum opportunitate adjuvandi simus, atque ità usque ad mortem, quantacunque nostrarum virium imbecillitas sit, in præsentem erga eum fide, & charitate mansuri. *Clamavi ad te, saluum me fac, ut custodiam mandata tua. Fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem. Non moriar, sed vivam, & narrabo opera Domini.* (Ps. 118. & 117.)

8. Subit hinc quartum præsidium, sollicita nimirum, & provida eorum omnium fuga, quæ ad peccandum incitamento esse possunt: præsidium à D. Paulo commendatum iis verbis Epistolæ ad Ephesios, (c. 4.) *Nolite locum dare diabolo, & maximè omnibus, quæis ani-*



animi integritas cordi est, necessarium. Nam per vias lutulentas incedere, neque fordibus quidquam contrahere, conversari cum hominibus peste infectis, nec ulla morbi contagione afflari, tractare aspides, & vipersas, nec virulento unquam morfu appeti, eventus sunt, ut cum Cassiano loquar, (*Coll. 19. c. 8.*) *non tam pro exemplo, quàm pro miraculo proferendi.* Rectè Salomon, (*Prov. 6.*) *Numquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta ejus non ardeant, aut ambulare super prunas, ut non comburantur plantæ ejus? Qui vitare peccatum in votis habet, occasiones quoque illius vitet, necesse est, & si ad has propius accedit, in illud quoque incidit.* Ità pronuntiavit Ecclesiasticus universè affirmans, (*c. 13.*) *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea: & qui amat periculum, in illo peribit.* (*c. 3.*) Imò ità suomet ipso ore pronuntiavit DEUS, Israëlitis testatus, si idololatrias uxores duxissent, earum idololatriæ haudquaquam immunes futuros: (*L. 3. Reg. c. 11.*) *Non ingrediemini ad eas, neque de illis ingredientur ad vestras; certissimè enim avertent corda vestra, ut sequamini Deos earum.* Quare etiam, ut eosdem à prædictæ superstitionis contagio tutiores redderet, non satis habuit severè iis interdiceret, nè ullum idoli



genus penes se haberent, sed & ipsum aurum, argentumve, quod idoli materia olim fuisset, habere vetuit. (Deut. c. 7.) *Sculptilia eorum igne combures. Non concupisces argentum, & aurum, de quibus facta sunt, neque assumes ex eis tibi quidquam, nè offendas. Nec inferes quidquam ex idolo in domum tuam, nè fias anathema, sicut & illud est. Quasi spurcitiam detestaberis, & veluti inquinamentum, ac sordes abominationi habebis.* Usque adeò magni esse momenti ad vitiationem mali duxit, abominari, procùlque à suo usu, & conspectu habere, quidquid, quomodocunque ad illud spectaret.

9. Præterquam quod nemo inficiari potest, occasionem peccati, etiamsi ad illud perpetrandum nos minimè pertrahat, in illius tamen periculum nos semper conjicere: & consequenter, quantò ab ea longiùs recedimus, tantò etiam tutiores à peccato sumus. Cur ergo, qui ardentè DEUM amat, non esse quàm remotissimus à periculo, ac proinde etiam tutissimus ab actu offendendi illum velit? Saltèm dubitari non potest, quin tali cura, atque studio magis illum à se amari, demonstraturus sit. Carthaginenses, cùm literas de prodicione suæ urbis ab aliquo civium ad Dionysium Siciliæ tyrannum græcè scriptum



ptas deprehendissent ; ( *Justin. L. 20.* ) lege caverunt, nè in posterum ulli suorum fas esset, græcum sermonem addiscere : quò nimirum, sublato ità cum hostibus cōmercio , omnis simul eis auferretur , tametsi cæteroqui voluissent , facultas agendi , & sociandi consilia cum iisdem in patriæ perniciem. Simili ratione divinus quoque amor exigit , ut subjectæ sibi animæ nedum voluntate , sed quantum fieri potest , etiam facultate careant , quidquam contra se moliendi : prohibens idcirco , nè cum suis hostibus non modò proditionis consilia ineant ; sed neque commercii quidquam instituant , eorùmque vel linguam noverint. Sapienter D. Hieronymus : *Quid necesse est , inquit , certa dimittere , & incerta sectari ? Tu , qui pugnas , & superari potes , & vincere. Ego , cum fugero , non vincar in eo , quod fugiam : sed ideò fugio , nè vincar. Periculosa securitas est , vicino serpente dormire. Potest fieri , ut me non mordeat , sed potest fieri , ut me aliquando mordeat. ( Cont. Vigil. )*

10. Non tamen argumenta me fugiunt , quibus solent nonnulli suam in peccati occasionibus , & periculis adeundis , libertatem tueri. Dicet primò aliquis , ità se animo comparatum , cùmque voluntate tam certa Deum



non offendendi illò accedere ; ut impossibile quodammodo existimet, tam subito in contrarium mutari. Admitto vera esse, quæ prædicat. Sed quonam pignore cautum ipsi est, eum animi habitum, quem extra peccandi occasiones, & illecebras rectum adeò experitur, talem prorsus sibi esse in mediis quoque illis mansurum? Itane ex tragicis Davidis, Jacobi Eremitæ, aliorumque Heroum lapsibus nondum didicit, quàm miræ efficacitatis sit delectabilium objectorum præsentia ad pervertendam rationem, ad subjiciendas sibi voluntates, & ad infatuandas quodam quasi magico carmine, & sapientissimorum hominum mentes? *Grave malum, nec expugnabile, neque ulla virtus. Optimum fugere ab ea.* ( *Odys. L. 12.* ) Dicit etiam de ipsa potest, quod de Scylla Græcus cecinit Vates. Bella sanè conclusio: absente delectabili objecto certus animi sum illius lenociniis obsistere; ergo talis etiam præsentem illo ero. Nimirum perinde hoc est, ac si quis diceret, nunc, quando sum sobrius, impossibile mihi existimo, hanc vel illam rem admodum indecoram publicè agere. Ergo non minùs impossibile mihi erit etiam ebrio. Nemo quippe non illi responderet, ità profectò, si inter ebrietatis vertigines non minùs



fanam, & integram, quàm sobrius mentem haberes, nec potiùs, qualis esse tunc solet, perturbatam, suique impotem. *In omnibus à voluptate cavendum est. Non enim de ea incorrupti judicamus, (L. 2. Eth. c. 9.)* dignum pro oraculo haberi effatum Philosophi est. Neque quòd aliquis ex peccandi periculis incolumis pluries evaserit, justam ideo habet causam similis eventûs sibi in futurum spondendi: uti nec eo, quòd insalubre naturâ cibi genus pluries ab aliquo gustatum citra noxam fuerit, licet arguere, nihil etiam, si in posterû gustetur, noxæ ipsi allaturum. Samson quoque Philistæorum insidias ter salvus, & victor evaserat. (*Judic. c. 16.*) Sed, quòd hisce fretus successibus, eandem retentare aleam non timuerit, prædæ ad extremum, & ludibrio illis fuit. *Sapiens (en quòd sit Salomonis judicio sapientis, ac stulti discrimen) sapiens timet, & declinat à malo. Stultus transilit, & confidit. (Prov. c. 14.)*

II. Verùm fac, quispiam certò sibi possit promittere, ex quibusvis peccandi occasionibus se sinè ulla gravi culpa abiturum; numquid pari securitate is sibi promiserit, nihil etiam qualiscunque spiritualis detrimenti sese indè relaturum? Minimè quidem: nam sicut



qui sæpe camino affidet, potest quidem circumspectè, cautèque ibi versari, ut manus, vestesque non adurat; at non etiam, ut nulum indè unquam fumi halitum, odorèmq; attrahat; sic, qui ad objecta peccato affinia frequenter accedit, esto nunquam ab iis lethali noxa infectus discederet; vix tamen sperari potest, futurum, ut nîl unquam maligni afflatus ex eorum contagione illi adhærescat: nè scilicet crebrò peccatum intuens, minori sensim, minorique cum abominatione, & horrore illud intueri assuescat: nè in appetitu sensibili nonnullam identidem erga illud propensionem experiatur: nève illecebrosa illius species menti interdum recurset, & arma dæmoni suggerat ad se, si minùs vincendum, saltèm oppugnandum. *Cur tentavit satanas cor tuum? (Act. 6. 5.)* Dixit olim Ananix Princeps Apostolorum Petrus, indicans hac loquendi ratione: ipsasmet tentationes dæmonis culpæ obnoxias, & reprehensioni esse, si ab hominis inconsiderantia, & temeritate originem ducant.

12. Dicent secundò alii: periculorum fugam tuti quidem, sed inglorii genus præsidii esse: cum extra ipsa facilis cuique, nec eximie laudis, & præstantis meriti sit morum integritas.



tas. Debere itaque, qui satis confirmatus in hac sit, laceffere potius, quàm vitare certamina, in quibus exercere, ac probare illius præstantiam possit: neque semper imbellis ritu sæminæ extra teli jactum consistere, muro-rumque munimentis suam incolumitatem tueri; sed ultrò in aciem profilire, & cum salutis suæ hostibus manus conferere. Ità nonnulli differunt, *audaces potius, quàm fortes*, uti quemdam hujus generis D. Augustinus vocavit. (L. 6. Conf. c. 8.) Quibus primùm Cas-fiani verbis respondeo, idem esse occasiones præliorum, & occasiones vulnerum quærere. (Coll. II. c. 9.) *Ubi enim est inquietatio bello-rum, non possunt non etiam vulnerum intervenire discrimina. Necessè est enim, quempiam in confli-ctu situm, quamvis bellator sit, ac fortiter dimicans lethalia adversariis vulnera frequenter infligat, nonnunquam tamen hostili mucrone perstringi. Ne-que subjiciant, hoc ipsum fortis viri esse, vul-nera nempe, & mortem minimi facere. Esto quippe id concederetur de morte, & vulneri-bus corporis; at quis unquam dixerit, perti-nere ad veram fortitudinem animi vulnera, & mortem, hoc est vitia, & peccata minimi fa-cere: cum certissimè constet, quantò quis-que sit virtute præstantior, tantò ejusmodi*



mala ab eo cautiùs vitari? Imò, si de ipsis quoque exterioribus præliis loquamur, non quisquis eorum pericula adit; generosi, ac fortis viri nomen promeretur, sed solùm, qui vel necessitate adactus, vel communis boni, aliòve laudabili studio impulsus id facit. Nam, si nulla hujusmodi suppetat ratio, sed solâ ostentandæ fortitudinis causâ in quæcunque irruat mortis discrimina; næ is haudquaquam pro forti, atque strenuo, sed pro temerario veriùs, & stolido à sapientibus habetur. Apagè à vera virtute thrafonicas hasce glorias, quæ animi exaggeratio esse in speciem videntur, cùm re ipsa consilii sint, & rationis defectus. *Nemo se falsa securitate decipiat: nemo de suis viribus periculosè præsumat, sed audiat Apostolum dicentem: fugite fornicationem. In hac parte expedit plùs bene timere, quàm malè fidere: & utilius est, ut infirmum se homo cognoscat, quàm fortis videri velit, & infirmus emergat. (Serm. 250. de Temp. in t. 10. S. Aug. & Lib. de singul. Cler. inter op. D. Cypr.*

13. Adde, quòd, cùm testante Jobo, (c. 17.) *Militia sit vita hominis super terram, neque demones, & pravæ cupiditates ullum nos oppugnandi faciant finem; quidnam, rogo, opus est, ut ad nostram periclitandam, prodendam-*  
que



que virtutem, quæsitum hostes eamus, qui vel minimè provocati assiduè nobis instant, jamque ex insidiis; jam aperta vi negotium faciunt? *Si mortuus est Diabolus*, inquit Augustinus, *mortuæ sunt persecutiones. Si autem adversarius ille vivit, unde non tentationes suggerit?* (In Ps. 127.) Sed quid dicerent audaculi isti periculorum contemptores, si admissio, quod affirmant, quærendas nempe ab hominibus probatæ, perfectæque virtutis spiritualium occasiones certaminum esse; contenderem nihilominus, à nemine illas quæri oportere, eò quòd nemini elatè adeò sentiendum de se ipso sit, ut probatæ, perfectæque virtutis se hominem putet? Certè equidem neque solida, & perfecta esse virtus sinè humilitatis fundamento potest; neque hoc fundamento niti, qui solidam, perfectamque virtutem sibi arrogat. Quapropter licet hoc dilemmate uti: vel satis certæ, & probatæ, vel ancipitis, dubiæque virtutis te esse arbitraris. Si dubiæ: peccandi occasiones, & pericula debes vitare, eum sinè certa, probatæque virtute illis se objicere temerarii hominis sit. Sin autem certæ: illas non minùs debes vitare: cum hoc ipsum, quod talem te existimes, argumento sit, parum humilem, ac proinde non talem te esse.

Quor-



Quorsum igitur cum Laodiceno illo Antifite crepas: (*Apoc. c. 3.*) *Dives sum, & locupletatus, & nullius egeo?* Perinde quasi, qui cordis tui penetralia melius te ipso inspicit, nequeat, ceu illi quondam, sic & tibi exprobrare, & *nescis, quia tu es miser, & miserabilis: & pauper, & cæcus, & nudus.* Ah disce ex Apostolo, qui se pluris nihilo facit, deceptorem sui esse, *qui se existimat aliquid esse, cum nihil sit, ipse se sedacit.* (*Ad Gal. c. 6.*) Scitè olim Panetius adolescenti, à quo rogabatur, essetne sapientis amare: *De sapiente, inquit, videbimus. Mihi, & tibi, qui à sapiente longè absumus, non est committendum, ut incidamus in rem commotam, impotentem, alteri emancipatam, vilem sibi.* (*Sen. Ep. 116.*)

14. Quod si hæcenus dicta alicui non sufficiunt, nego demum cum D. Ambrosio, imbecillæ virtutis rem esse, occasiones peccandi fugere: quin addo, majus à virtute fortitudinis suæ specimen dari, dum eas cautè declinat, quàm dum præter causam, & temere adit. *Non erubescamus, inquit sanctus Doctor, fugere: gloriosa enim fuga est, fugere à facie peccati.* (*De fug. sæc. c. 4.*) Neque non in promptu ratio rei est: cum enim tantò firmiorem, perfectamque magis virtus se probet, quanto  
plùs



plùs averfatur , majorique odio profequitur vitium ; nemini effe dubium potefl, quin peccatum plùs oderit , qui non modò ab illius voluntate , fed & à periculis illud volendi procul fe habet , quàm qui contentus illud non admittere , ad illius incitamenta , & occafiones ultrò accedit. Cùm hic pravam fenfibilis fui appetitùs in vetita objecta propenfionem aliquatenus foveat , naturalem illam saltèm , quæ ex eorum præfentia , & vicinitate proficifci folet , delectationem ipfi permittens : prior verò ex fumma peccati abominatione nihil ufquam nativæ erga illud proclivitati indulget , fed ab omni , quantum fieri potefl , illius fenfu , cogitatione , & afpectu genium compescat. Unde etiam dilucidius apparet , cur facilè in peccatum labatur , qui fua fponde in illius pericula , & occafiones fe conjicit. Nam præter majorem vim , qua appetitus rapi folet , ab objectis delectabilibus , cùm ea habet præfentia ; illud ipfum ad ea propiùs accedere , intèrque ea fe curè , & indifferenter verfari , perinde efl , ac cum iis pugnam inire , minori eorum odio armatum , minùsque ad ea fuperanda validum , imò dimidia ex parte jam victum , nec difficilem penitùs vinci. Quapropter , fi Fabius ille , qui Romanam cunctando



do restituit rem, *novam*, ut observat Florus, *de Annibale victoriam commentus est, non pugnare*, (L. c. 6.) ipsúmque, ceu ab alio scriptore colligitur, illius *non dimicare, fuit vincere*; (Val. Max. L. 7. c. 3.) multò idem verius in spiritali militia usuvenit; cum nemo hic fortio rem se prodat, & illustriori potiatur victoria, quàm qui pugnas cautiùs vitat, & ab hoste longiùs recedit.

15. Superest, ut curemus ab errore deducere, & ad saniora revocare consilia, si quis fortè diceret, se peccandi occasiones haud metuere divina ope fretum, quæ & humanæ cui libet imbecillitati confirmandæ par est; neque ulli, quemadmodum paulò antè affirmavimus, eam rite imploranti negatur. Respondeo itaque homini, æquissimam procul dubio fore eam fiduciam, si ipse necessitatis vi, aut honesta, & gravi ratione impulsus, peccandi pericula adiret. Sed falsam, & inanem omnino esse, si nulla urgente idonea, & probabili causa suæ unius temeritatis suasu in prædicta discrimina irruat. Aliud quippe est, prout neminem fugit, DEUM orare, aliud verò eundem tentare: neque ille posteriori hac, sed priori illa ratione agenti se adfuturum spondit. Orat DEUM, qui ejus poscit auxili-

li-



lium, quando hoc necessarium est: nempe in periculis, quæ nec vitare, nec superare suis viribus valet: ut exempli gratiâ, cum fallente vestigio in immane barathrum prolabi se videns, à præsentis exitio vindicari divinitus flagitat. Tentat verò DEUM, qui præter necessitatem servari ab eo petit: nempe in periculis, quæ, cum declinare posset, ultrò tamen per temerariam adfuturæ sibi divinæ opis fiduciam adit: veluti, si quispiam è summo Vaticanæ basilicæ tholo se deorsum præcipitem mitteret, tanquam à DEO, cujus nomen imploravit, benignè sustentandus, & humi deponendus incolumis. Age jam quid discriminis inter tuam peccandi pericula ultrò aduentis temeritatem, & spontaneam prædicti hominis è Vaticani templi fastigio præcipitationem potes afferre? Sanè si altera alteri comparetur, neque mali gravitas, cujus aditur periculum, neque libertas in hoc se conjiciendi, neque impotentia ex eodem propria duntaxat virtute evadendi minor potest in tuo, quàm in facto illius credi. Si ergo illum increpares, quasi plus nimio præfidentem, quique DEUM tentet, supervacua, & præter causam miracula exigens, nec arbitraris, concessum illi à DEO iri, quod spe tam  
su-



superba præsumit auxilium, quidni de te quoque idem sentire, & loqui debeas, qui undecunque ineatur comparatio, tam similibus lineamentis eum refers? Ah nè, quæso, fallacissimæ spei velimus committere tanti rem momenti, quanti est divinæ gratiæ possessio: nec parvi adeò muneris locò existimemus, in quavis egestate, & inopia à DEO nobis succurri, ut eum nostræ etiam temeritati inservire velimus. Ità nobis (verba sunt libri de singularitate Clericorum, D. Cypriano adscripti) ità nobis spiritualis fortitudo collata est, ut providos, non ut præcipites tueatur. Custos nobis datus est spiritus, ut contraria declinantibus assistendo subveniat, non ut contraria eligentibus faveat: nec ut voluntarios, & pronos in adversa confortet, sed ut nitentes ab adversis separari confirmet. Nam quicumque perniciosis conatibus audet exercere virtutem, juvamen non habet spiritus sancti, qui neminem vult ultroneum ad fraudulentas victorias committari: nec protegit, sed deserit, quem periculis irruentem per illicitos eventus exquirere triumphos agnoverit.

16. Subdo pro dictorum confirmatione, & coronide, quòd, esto aliquis divinitus nōset, nihil se omnino spiritualis detrimenti ex quibusvis peccandi occasionibus relaturum; non



non deberet tamen, si DEUM ex toto corde amat, summóque odio peccatum averfatur, ad ullam ejusmodi occasionum accedere, sed ab iis omnibus, quàm longissimè potest, refugere. Simili ratione, ac mulier mariti, pudicitiaque amans nequit sinè stomacho ullam hujus contaminandæ, & à pacta illi fide recedendi mentionem audire, sed venenati instar colubri horret, ac vitat, quicumque ad id flagitii vel obscuro nutu se instiget: quamvis certissima alioqui sit, nullis hujusmodi instigationibus vel tantillum à tuendæ honestatis constantia dimotum se iri. Aut veluti nemo ex nobis induci se sineret ad pernoctandum in cubiculo, ubi dæmon sub tetra, & horribili specie apparere solet, quanquam cæteroqui nè minimâ quidem noxâ ab eo præsentem se afficiendum sciret, dicens secum: esto nulla ille vi læsurus me sit; satis tamen, superque me contristat, & lædit, vel solo visu percipere monstrum tam deforme, hostem tam efferrum neminem fortè vestrûm ( Atheniensibus suis dicebat Demosthenes ) venenifero dente serpens momorderit, Deosque oro, nè quid tale unquam vobis contingat; nihilominus, siquam ex maleficis hujusmodi bestiis obviam habeatis, saxa illico, & fustes in illius necem

G g g

arri-



arripitis. (*Or. 1. in Aristog.*) Unde colligebat, debere unumquemque ita hostiliter adversus calumniatores tanquam genus publicè exitiosum se gerere, eosque è civitate exterminatos funditus velle, licèt nihil mali privatim ab iis passus sit. Ut & ipse indidem colligo, debere unumquemque, qui summam peccati malitiam probè intelligit, illud similiter detestari, etiamsi nihil ab eo damni metueret. Ità planè hoc proprium est, maximè que certum extremæ abominationis, & capitalis odii argumentum, non modò nullam cum exoso objecto amicitiam, & conjunctionem velle; sed nè aspectum quidem, & viciniam illius posse, imò neque umbram, & sonum nominis pati. Quare D. Paulus commendabat Ephesius, ut pro peculiari abominatione quibusdam vitii debita, vel ipsum eorum nomen suo ab ore, auribusque proscriberent: (*c. 5.*) *Fornicatio autem, & omnis immunditia, aut avaritia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos.* Et revera fideles DEI servi, atque amici, ceu quamcunque ejus offensam nullo non malo plùs ode- rant; sic, ubi extremam invictissimi objecti sceditatem mente, sensibusque perciperent, non animum sibi modò, sed & ipsum corpus sentiebant insolito, & lethali propemodum hor-



horrorè constringi. Qualis inter alios fuisse fertur B. Stanislaus Kostka: (*Bart. in Vit. L. 1. c. 2.*) usque adeò à pueritia cujusque obscœnitatis impatiens, ut, si quando in communi hominum consuetudine sermonem ea tinctum audiret; non aliter, quàm si venenifero halitu percelleretur, semianimis humi corrueret. Et qualis itèm B. Catharina Genuensis, cui cum DEUS vivida sub imagine incomparabilem ostendisset suæ cujusvis vel minimæ offensæ turpitudinem; (*in Vit. c. 27.*) præ angore animi, quem indè conceperat, in gravem morbum decidit, nec procul à moriendo abfuit. Quapropter, si omnem tu jumentum, vel canis mortui, inque via putrescentis occursum studiosè devitas, neque solum nunquam sponte accederes, ubi aliqua hujusmodi tabes auram nidore suo inficit; sed si fortè illo casus nescientem tulerit; vultum avertis, os, narésque manu comprimis, & gressum quàm citissimè transiturus acceleras; contra verò citra ullum horrorem, ea ultro loca, & commercia frequentas, ubi, esto non pecces, peccati tamen præsentiam, sensum, memoriam, & cogitationem nequis effugere; quanam fronte profiteri audes, aut quisnam profitenti credet, nihil tibi usquam tetrum adeò, invi-



sùmque, & abominandum posse objici, quin eo DEI offensam plus horreas?

17. Sed enim verò, quantumcunque cautionis, & diligentix homo adhibeat, fieri non potest, ut quaslibet peccandi occasiones declinet. Offendicula siquidem, laqueosque, & insidias non modò ubivis locorum reperimus, sed in nostris quodammodo pedibus circumferimus, juxta illud Ecclesiastici, (c. 3.) *Cave tibi, quoniam cum subversione tua ambulat. Et adversarius noster diabolus, quasi leo rugiens, non expectat, ut ad spælei sui ostium incauté accedamus: sed furioso in omnes latè partes discursu circuit quærens, quem devoret.* (1. Petr. c. 5.) Postquam ergo DEI servus pro viribus cavit, nè quam seu ipsi, seu pravis cupiditatibus se oppugnandi ansam præbeat; reliquum est, ut cum dicti hostes bellum ultro, & arma sibi inferunt (quæ ultima divinæ gratiæ tuendæ ratio est) virili, strenuóque iis animo obfistat. Quo in certamine illud ante omnia providendum est, ut aggressionem hostilem quàm celerrimè, & sua inter primordia repellat: minimè eam negligens, quòd tunc instar rerum omnium nascentium tenera, & debilis sit: sed hac ipsa de causa properans etiamnum imbecillam, priùs quàm invalescat, elidere:

ne-



neque tunc primùm arma capiat, cùm tumultuari, & miscere omnia intrà animum sentiet, sed potiùs Evangelici illius propugnatoris ritu, qui *armatus custodit atrium suum*, vel ab accessu ad fores, nedum ab ingressu, & irruptione in penetralia ipsam prohibeat. Providendum id, inquam, illi est, ceu res perquam maximi momenti. Peccati siquidem cogitatio, quando primùm mentem pulsât, haud magno conatu, & negotio rejicitur: sique id protinus fiat, confecta jam plerumque pugna est. At, si paululùm ei moræ indulgeatur, incredibile dictu est, quantum brevi illo tempore virium acquirat, quanòque majori labore opus sit ad eam expellendam, ubi jam animo insedit, quàm fuisset ad primò excludendam. Quid scintillâ contemptius vix ab igne prolapsâ? Quidque eâdem formidabilius per materiam sibi idoneam grassari aliquamdiu permisâ? Unico oris flatu extingui primùm poterat; nulla jam ars, neque vis debacchantem compresserit. Nè itaque, cui vincere cordi est, opperiat, dum fœda imaginatio incipiat titillare, & suas in partes pertrahere appetitū sensibilem: sed primùm animadvertam ea celeritate abigat, qua scintillam, vel carbonem è tunica excuteret: nec minori cum



horrore ab ea mentem avertat, quàm retrò abfiliret à viperæ occurſu, *tanquam à facie colubri fuge peccatum.* ( Eccli. c. 21. ) Hujusmodi verò horrorem haud tardum illi erit concipere, ſi tentationis objectum intueatur, non ſecundum illecebrosam ſpeciem, ſub qua à dæmone exhibetur, nempe ut luſum ætatis, ut genii oblectamentum, ut expletionem naturæ: ſed quale illud fides, ratioque eſſe docet, actionem nimirum DEO injurioſam, æquitati contrariam, brutæ pecudi congruentiorem, quàm homini, nullo non malo deteſtabilem magis, & cui pro merito puniendæ neque æterna ſint ſatis inferorum ſupplicia,

18. Quòd ſi vel ex prædictæ cautionis neglectu, vel quòd tentatio ſolito vehementior ſit, objecta peccati ſpecies imaginandi facultatem penitùs occuparit, validamque in appetitu ſenſibili erga ſe propenſionem conciverit, nec ullis proinde tuis conatibus cedat, ſed vix repulſa acrior ad pugnam redeat; tunc opus primò erit, ut DEI, ſanctiſſimæque ejus Parentis, & aliorum cæleſtium Patronorum auxilium implores, humili, animoſaque cum fiducia exclamans: *Salvum fac ſervum tuum DEUS meus ſperantem in te. Clamavi ad te Domine: dixi, tu es ſpes mea: intende ad deprecationem*

nem



nem meam, quia humiliatus sum nimis. Tuus sum ego, salvum me fac. Exurgat DEUS, & dissipentur inimici ejus, & fugiant, qui oderunt eum, à facie ejus. Respice, & exaudi me Domine DEUS meus: illumina oculos meos, nè unquam obdormiam in morte: nè quando dicat inimicus meus: prevalui adversus eum. Quibus precationibus adjungendi identidem erunt pii actus voluntatis adversus peccatum: ita ut detesteris ultra omne aliud malum tum quamcunque DEI offensam, tum eam nominatim, ad quam urge-ri te sentis: firmissimè apud temet ipsum statuens, millies mori, quàm à debita cælesti tuo Domino fidelitate, & observantia desciscere: nihilque vehementiùs deplorans, & majorem appellans infelicitatem tuam, quàm quòd perfidus aliquando, & rebellis ei fueris.

19. Secundò consuesce tentationis, tanquam veneniferi cujusdam serpentis, non caput, sed ut de alio serpente innoxio præceptum Moyse à DEO est, (Exod. 4.) *Caudam apprehendere*: peccati nimirum, quod tibi à tentatione suggeritur, non initia, sed exitus, & consecutiones spectare, differendo sic tecum: fingamus, quod avertat DEUS, diabolicæ huic suasioni me assensum præbere, quidnam indè fructus percipiam? Voluptatem videli-



cet fordidam, turbulentam, insanix similem, ac præterea brevissimam, inque ipso penè suo ortu evanescentem. Et deinde quinam erit mei animi sensus? Quanto pudore æstuabo? quàm tristi pœnitentia mordebor? ut meæ cæcitati irascar? ut remanebo anxius, pavens, divinæ gratiæ expers, tartareo hosti mancipatus, sempiternæ mortis reus, vilis coram Deo, coram Angelis, coram dæmone, coram me ipso? Talis certè exitus præteriti cujusque criminis fuit. Ità post eorum quodlibet mihi displicens, atque iratus remansi. Nè multa, diffiteri nequeo, hunc assensum perpetuè in omnem vitam ægritudinis mihi causam futurum. Cur ergo id velim facere, quod certissimè scio, statim fore, ut nolim fecisse? Nè *intuearis vinum, quando flavescit, cum splenderit in vitro. Ingreditur blandè, sed in novissimo mordebit ut coluber.* (Prov. c. 23.)

20. Tertiò proderit quoque, si animadvertas, impulsionem istam, qua ad peccandum urgeris, proficisci à dæmone capitalissimo salutis tuæ hoste, qui, licèt videri à te nequeat, arcanis tibi vocibus dicit: indulge animo, carpe hujus voluptatis fructum: dicteque talia, non ideò, quòd tua hæc illi qualifcunque oblectatio cordi sit, sed ut eâ inescatum



tum ad æterna te rapiat inferorum supplicia: utpote qui nîl in votis aliud habet, inque lucro suo ponit, quàm tuæ animæ exitium. Secundùm quam animadversionem, vide, num consentaneum rationi sit, te ità gratificari adversario tam immane in te odium gerenti, quique, si obsecutus ei fueris, adeò de te in fraudem, suosque casses perducto sibi plaudet. Cùm, etsi nulla aliunde suppeteret causa abstinendi à peccato, hæc una sufficeret, ut dæmoni ægre faceres, nec, quam hostili animo expetit, ridendi de tuo lapsu materiam ei præberes. Certè equidem, si coràm spectabilis humano sermone, disertisque verbis hoc tibi peccatum suaderet, subitus te horror ad ejusmodi visum corripere: neque aut facere unquam velles, quod à tali authore suggeritur, aut alio argumento indigeres ad pernosendum, quàm id exitiale, & pestiferum sit. Quod ergo tentationis tempore non visus, nec usquam se prodens cordi tuo ingerit; imaginare, ab eodem, qualis fingi solet, sese intuentem præbente, ipsismet auribus tuis inculcari; nec difficile experieris, eodem pacto illius tentationem excipere, quo ipsum præsentem exciperes: raptim scilicet crucis signo te muniens, omnem criminis ab eo propositi vo-



luntatem, etsi antea conceptam animo habuisses, subito exuens, anxiâque cum trepidatione exclamans: Heu! diabolus hoc mihi suadet. Egone ut suadenti diabolo obtemperem? JESU bone, DEI para Virgo, succurrite.

21. Quartò, si tentatio ad nullum crimen re ipsa perpetrandum te stimulet, sed in mera criminum imaginatione consistit, quæ dæmon tibi repræsentet, tanquam si à te, vel ab aliis perpetrarentur, quò nimirum, voluptuosa, & lenocinanti illa specie seductus, per interio-rem quempiam delectationis, seu desiderii actum pecces; si tentatio, inquam, hujus generis sit, necesse erit, ut mentem quantocyùs ab illecebrosis his somniis excutias, dicens tecum ipse: heus, quænam hæc deliramenta animi sunt? Nónne religiosam ego vitam profiteor? Nónne solus nunc in conclavi meo dego? Nónne hæc facinora à præsentis meo statu quàm longissimè abhorrent? Nónne semel in perpetuum valere illa jussi? Nónne omnem eorum occasionem, ipsamque adeò facultatem mihi abscidi? Cur itaque supervacuis, & abominandis eorundem phantasiis me ipsum nunc lucifer, imò etiam in discrimen peccandi conjiciam? Sanè Balthasar Alvarus consultissimus in nostra Societate animarum



rector, & vitæ spiritualis magister, religiosum tyronem ab importunissima, quam sibi aperuerat, ducendæ uxoris tentatione non aliter expedit; quàm admirabundo eum vultu aspiciens, & pauca hæc subjiciens, Religiosus, & maritus? Videntur tibi hæc duo satis invicem convenire? Apage sis. (*In Vit. c. 19.*) Nec parvo contrà tales oppugnationes usui erit, si ex iis verecundiæ, pudorisque sensus animo haurias: reputans tecum, quænam familiarium meorum cogitatio, ac mens foret, à quibus in præclara virtutis æstimatione habeor, & ab obscœna libidine alienissimus putor, quid, inquam, ii sentirent, dicerentque, si fœdissimas hæc imagines introspicere oculis possent, quæ me suo aspectu occupatum, attonitum, & vix non iis arridentem a deo pertinaciter detinent? Quantum hanc infirmitatem admirarentur, quantumque ego de eadem coram iis erubescerem?

22. Quintò, cùm dæmon cogitationes blasphemias, & orthodoxæ fidei aversantes immitit; optimum factu erit, omni altercatione dimissa animum protinus à captiosis hisce tricis ad hilares, fervidósque divinæ charitatis actus divertere: qui tantò opportuniores erunt, quantò minùs ad impias dæmonis pro-



positiones speciatim confutandas videbuntur quadrare, neque ex harum timore concepti fuerint, sed quasi ex libero exercendæ virtutis studio. Occupatus quippe affectibus naturâ suâ jucundis, deque diverso prorsus genere, animus minori negotio tetra illa phantasmata excutiet, atque oblivioni mandabit. Unde etiam S. Joannes Climacus docet, similes tentationes contemptim esse potius, quàm trepidè, anxietateque abigendas: tantique id documentum facit, ut affirmet, blasphemiam spiritum victum credi posse, ubi fuerit contemptus, (*Qui hunc spiritum despicit, liber evasit:*) neque alia de causa innocuas, simplicisque animas specialius ab eo divexari ait, quàm quia eum magis timeant, illiusque impugnationes molestius ferunt. (*Grad. 23*)

23. Sextò, universale, & imprimis efficax adversus quæcunque dæmonis tentamenta alexipharmacum est, præstantes, & heroicis amoris erga DEUM actus elicere: decernendo exempli gratiâ, quàm firmissimè divinam illius voluntatem propriis quibusque comòdis, & rationibus omnino neglectis ubique exequi: optando gravissimas quasque ærumnas, insectationes, contumelias, & cruciatus pro gloria ipsius perpeti: vel profi-

ten-



tendo, quamvis delectatio, ad quam stimulamur, nullum gravis noxæ reatum contineret; nunquam tamen inducturos nos animum eam degustandi, nè ipsi videlicet quantulæcunque offensionis præbeamus materiam. Progre- diens enim, qui prædictos actus concipit ad excelsiora, atque libera virtutis officia, quo- nam pacto necessarios, inferiorésque ejus gradus superare abnuet? paratúsque animo ad consiliorum observantiam, quinam fieri poterit, ut transgrediatur præcepta? Præter- quam quòd, cum iidem actus excellentis me- riti sint, nec solummodo ad fugam, exclusio- némque peccati, sed ad majora etiam Christi- anæ perfectionis incrementa conducant; eo- rum exercitatione in spirituale nobis lucrum ipsamet peccandi incitamenta convertimus: cogentes ità hostem tartareum à nobis oppug- nandis desistere, utpote quos è suis aggressio- nibus plus capere animorum videt, neque so- la nostri defensione contentos, illatis quoque signis ultrò se invadere.

24. Septimò, maximi etiam ad quaslibet tentationes superandas momenti fuerit, si tranquillo inter ipsas, erectóque, & hilari a- nimo perstes: nihil tristitiæ, aut timoris con- cipiens, etiamsi adversarius majore semper



vi certamen redintegret, imò ex ipsamet illius pertinacia ad alacritatis, bonæque spei incrementum proficiens. Quantumcunque enim abominandæ sint species, quas imaginationi tuæ imprimit, perversique motus, quos in sensibili appetitu tuo excitat; certum est, omnia ejusmodi peccato vacare, neque hoc commissum unquam iri, nisi tu liberè, scienterque illud velis: quod post imploratam Dei opem confidere indubitanter debes, nunquam eo adjuvante eventurum. Unde sequitur, tentationem posse utique molestiam tibi exhibere, sed non etiam noxæ aliquid per se ipsam afferre: quin contrà maximi potius occasionem lucri præbere, & tantò majoris, quantò acrius te urget: ratione meriti apud ipsum, quod viriliter illi obsistens eò semper uberius, quò illa est diuturnior, & violentior, acquiris. *Molesta est lucta, sed fructuosa: quia si habet pœnam, habet & coronam. Non nocet sensus, ubi non est consensus: imò, quod resistantem fatigat, vincentem coronat.* (De Inter. Dom. inter op. D. Bern.) Quapropter nulla spiritali viro adest causâ ægre illam ferendi, ut justius habere charam possit, deque illa gratias DEO agere, qui *certamen forte dedit sibi, ut vinceret:* (Sap. 10.) non finens desiderari à se campum,  
ubi



ubi suam virtutem latiùs explicet. His ergo positis, ingentem contra quaslibet stygii hostis oppugnationes animum fume: oraculi loco habens, quod Joannes Chrysoſtomus scripsit: (L. 1. de Prov.) *Diabolum sibi ipſi, non nobis eſſe malum. Nos enim, ſi velimus, plura etiam commoda per illum, pèrque ipſius nequitiis conſequimur.* Neque ſolùm aggreſſentem nè timeas, verùm etiam fretus DEI auxilio, pro cujus gloria diuicias, deſpicatui habeto, & ſuperioris in morem contemptum alloquere: jam ſuam illi exprobrando impotentiam ſeu te vincendi abſque tuo aſſenſu, ſeu etiam invadendi abſque cæleſtis tui Patris permiſſu: jam canem appellando, vinculis conſtrictum, quique latrare magis poſſit, quàm morderi: jam per ludibrium provocando vel ad præſens continuandum, vel ad novum inferendum certamen: jam inſultando ipſi de irritis te lædendi conatibus, utpote qui omnes in illius ignominiam, & cladem redeunt, tibi que non niſi recentium meritorum, & amplioris gloriæ materiam ſuppeditant. Hæc ſiquidem generoſitas, animique magnitudo vix poſſis credere, quantum valebit, tum ad minuentem tentationis vim, tum ad dæmonis retundendam audaciam: qui, ſecundùm verifi-

mam



mam D. Ignatii Loyolæ animadversionem ;  
 ( *Exerc. Spir. Reg. 12. ad Spir. dignos.* ) consue-  
 vit robore , & animo planè destitui , quoties spiri-  
 tualem athletam corde imperterrito , & fronte ar-  
 dua tentationibus videt reluctari . Sin autem tre-  
 pidet , & quasi animum despondeat ; nulla est bestia  
 super terram inimico illo tunc efferatior , acrior , &  
 pertinacior . Crocodilum dixeris animal , ut  
 rerum naturalium Historici tradunt , ( *Sen. L.  
 4. Qu. Nat. c. 2. Plin. L. 8. c. 25.* ) Fugax auda-  
 ci , audacissimum timido . At contrà mœror , &  
 trepidatio efficeret , ut & fœda objecta peniti-  
 us animo imprimerentur , & in peccatum pro-  
 clives appetitûs sensibilis motus majorem vim  
 caperent ; & adversarius ex tuo metu animo-  
 fior acriori te impetu urgeret ; & ratio turbid-  
 is speciebus confusa minus retineret ad con-  
 trarios ei actus promendos vigoris . Quare  
 iterum tibi prædictam confidentiam , & alacri-  
 tatem , quàm maximè possum , commendo ;  
 uti eandem spiritualibus suis alumnis summo-  
 pere commendabat experientissimus interio-  
 ris hujus militiæ magister Antonius , adeò ut  
 non dubitaret dicere : *Una est ratio vincendi ini-  
 micum : spiritualis lætitia , & animæ Dominum sem-  
 per cogitantis jugis recordatio.* ( *S. Athan. in ejus  
 Vita.* )



25. En igitur, anima DE Iamans, quæque fixum in corde habes, nunquam cum gravi crimine offendere, artes, & præsidia, quibus uti te oportet ad perpetuam, & immobilem retinendam justissimi istius propositi tui firmitatem. Debes ( ut de iis dicta summam repetam ) primò iterare pluries diebus singulis, sed peculiari studio inter matutinam orationem prædictum propositum quidvis citius patiendi, quàm ut cælestem tuum Dominum graviter offendas. Secundò, de te ipso, & præsentis ista tua non peccandi voluntate omnino diffidere, pro certissimo habens, posse illam in singula momenta deficere, nisi à DEO, qui eam tibi infudit, per liberalitatem gratuitam jugiter conservetur. Tertiò, ut hoc tam necessarium donum obtineas, tum quovis manè, tum præterea, quodocunque per diem occasio, & periculum peccandi instat, humili, & fervida oratione ad ipsum confugere, nihil ambigendo, quin à paterna ipsius benignitate exaudiendus certissimè sis. Quartò, solerter vitare, quantum necessarii vitæ usus, tuique muneris conditio, & prudens erga proximum charitas, aut justæ aliæ rationes permittunt, quidquid tibi ad graviter peccandum incitamento esse possit. Quintò,

Hhh

tò,



tò, si dæmon occultis instigationibus ad noxam capitalem te impellat, promptè, viriliterque tentantem repellere, iis armis utendo, quæ ad id præstandum plùs conferunt. Faxit DEUS, ut æquè tu sedulus sis in hisce adhibendis præfidiis, ac illa tibi erunt ad divinam gratiam in animo conservandam utilia.

## CAPUT XXX.

De sollicito, & inexplebili ejusdem studio, ut magis semper, ac magis DEO placeat.

**N**ullus est amoris fructus jucundior, quàm placere amato, ab eoque vicissim amari. Unde fit, ut amantium quisque mutuam hanc vicem cupidissimè expetat, nec nisi eam obtentâ quiescat: imò etiam, ubi illius compos evasit, perpetuo, & inexplebili studio eam consequi ampliorem contendat: nihil curans enixiùs, quàm ut plùs semper ei placeat, qui sibi placet, plùsque semper ab eo ametur, quem amat. *Ad hoc præcipuè studium diligentis tendit, ut dilectum ad sui amorem attrahat: & nisi hoc accidat, oportet dilectionem*  
dis?